

naturæ & rationi obsecundant, hoc nec volentes assequuntur, vt dialecticorum diligentiam ipsi harum artium ignari imitentur. Metaphysicorum vero de substantia, accidente, natura, hypostasi, modis &c. statuta & ratas sententias ad se pertinere adeo non putarunt, vt, sicubi easdem voces pro re nata vsurpent, plane alia notione accipiant, quam qua Iohannes Damascenus & infimi æui scriptores acceperunt: cuius itaque præposteritatis fuerit, authorum scripta ad eam regulam exigere, quam ipsi non agnouerunt?

## §. XV.

*Refutatio argumenti primi a dissentientibus allati.*

Quæsierit autem hic aliquis, qui fiat igitur, vt tam multi extent Viri præstantes & eximie docti, qui Theologiam non aliter saluam fore autument, quam si ei Dialectica & Metaphysica famulentur. Ratio est in promptu, & iam a nobis superius indicata: nempe cum illi audiant Theologos Dialecticorum & Metaphysicorum technicis vocibus libenter vti: deinde, si quid nodi difficilis incidit, ad eum soluendum Logicam vindicem aduocare, tum Metaphysicas naturæ, hypostaseos, personæ, existentia, modi &c. definitiones suis institutionibus Theologicis subtexere; neque satis internoscant, quæ primæua disciplina ratio flagitet, & quæ peruer-